


Joachim Lütke­mann Barthold Nieme­yer

Iudicii Metaphysici Minoris Disputatio Prima Et Prooemialis De Natura Metaphysicae


Rostochii: Reusnerus, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729597628>

Druck Freier  Zugang



RU phys 1638
Jochim Lippmann
Barthold Nimmeyer



JUDICII METAPHYSICI
MINORIS
DISPUTATIO PRIMA ET PROOEMIALIS
DE

8
a.
20

NATURA METAPHYSICÆ

Assistente cœlesti Numine,
"Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,"
In inclytâ Academiâ Rostochiensî
placido Examini subjecta

PRÆSIDE,

M. JOACHIMO LUTKEMANNO,

Demminensî Pommerano,

RESPONDENTE

BARTHOLDO NEMENYEN

OSTERODENSI,

In Collegio Unicornis Die 10. Februarij
Horû Pomeridianû.



ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XXXVIII.

1038

Aquilam Scientiarum describere, membris singulis & articulis nondum depictis, perversum forsitan erit, cum distincta cognitio totius pendeat ex distincta cognitione partium. Memores tamen, in via sciendi auscultativa quod versemur, nihil subesse periculi arbitramur, si suis delineamentis Metaphysicam adumbratam proponamus primum, plenius cognoscendam tum, cum partes per artificiosam quandam anatomiam perspexeris. Quos libros τῶν μετὰ τὴν φυσικὰ Aristoteles inscripsit, nos Metaphysicam appellamus, non quod supra naturam sint, in ea quæ traduntur, sed quod post Physicam sit inventa. Post-Physica itaq; dicitur ordine inventionis; naturæ enim ordine ea, quæ nobis Metaphysica est disciplina, prior est Physicâ, utpote ejus cognitio perfectè distincta, absq; cognitione illius haberi nequit. Κατ' ἐξοχὴν vocatur Philosophia, Philosophia item prima, cum de ijs agat, quæ in cognitione distincta sunt prima: Vocatur etiam Sapientia & Theologia, quod in ea de Deo agere Auctores soleant.

S. 2. Quæritur, An sit aliqua Metaphysica, & quidem à Logica distincta? Nos cum Cornelio Martini in Prolegom. Metaph. rem ex ipsa natura arcessimus. Intellectus noster similis est tabulæ (non ratæ, quæ Platonis sententia est, per recordationem Idearum, scientiam fieri docentis; sed) nudæ, in qua scriptum cum nihil sit, inscribi tamen quidvis possit. Potentialis itaq; intellectus cum sit, in actum deducitur, non minus ac sensus, per objectum; cuius duplex officium, potentialem intellectum deducere in actum, & mensurare actualem, ita ut tota veritas dependeat, non ab intellectu, sed ab objecto, quod intellectui imprimat speciem. Perficit autem hoc munus objectum, ope sensuum, ut habet axioma: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Id quod hõc modò fit ac ordine. Primum ad intellectum quæ detulere sensus, materiata sunt; materiati enim cum sensus, materiata & individua tantum apprehendunt. Intellectus diviniõr & immaterialis ex singularibus universales naturas abstrahit; inq; materiatis, duplicis generis accidentia reperit, 1. quæ sine additione materiæ cognosci non possunt, quis enim quantitatem sine materia, motum sine corpore mobili, generationem sine subiecto cognoscit? 2. quæ poterant sine mentione materiæ & cognosci & distinctè definiti, esto non possint esse absq; mate-

ria. Trigonum, quadratum, circulum definiens, aureus an ligneus sit, nihil pensi habet. Neq; enim formæ Mathematicæ in auro habent naturam & accidentia diversa ab ijs, quæ sunt in ligno, aut materia alia: similes sibi sunt semper, in quacunq; reperiuntur materia. Prioris generis Entia Physicam peperere; posterioris, Mathematicam. Porro, cum formæ Mathematicæ sensibus quoq; se offerrent, Physicæ autem materialium peplo involutæ, ex operationibus demum investigandæ fuerint, aciem corporei oculi non admittentes; ex diversitate operationum diversos formarum gradus observavit intellectus, donec ad animam rationalem pervenerit. Hujus indoles Philosophos à materialis ad immateriali ascendere docuit: cœptum est inquiri de Deo, de Angelis, ex naturæ lumine quantum fieri potuit. Tandem transcendendo prædicamentorum seriem, ea mens scrutata est, quæ Enti in univ-
*com
 hinc*
obly phy
ra

Entia quedam sunt

Materia immersa, ita ut non solum nunquam de re spiritali affirmari queant, sed & sine mentione materiae nec cognosci nec definiiri distinctè possint. Dicuntur Entia in *Deo*, & *Deo*.

à materia abstracta, dicuntur Entia è *φυσικῶς*. Hæc sunt abstrac-
 } Secundum rationē tantum, qua quidem definiuntur absq; mentione materiae, sine materia tamen esse non possunt: Cujusmodi sunt formæ Mathematicæ.

tracta vel } Secundum rem & rationem simul: Idq;
 } Per negationē, qua quoad naturam de re corporea in æternū predicari non possunt. Ut Deus, Angelus.

vel } Per indifferentiā qua indifferentia sunt dici de materialia & immaterialia. Ut bonitas, veritas, substantia, qualitas, numerus.

Hæc clara sunt, nisi quod Pererio *l. i. de Phil. c. 6.* hæc videntur repugnantia, esse à materia abstractum per indifferentiam. Si enim E. g. Substantia, Ens, unum, bonum, &c. in simplici suo conceptu indifferentia sunt, id est, nuda ab esse materiato & immateriato; non possunt in eodem simplici conceptu immateriata vocari, siue abstracta à materia. Sed liquidò errat, cum abstractum à materia idem esse putat cum eo, quod positivè immateriatum; Entis enim natura, aliàs indifferens ad esse spirituale & corporale, per positivam aliquam differentiam restricta ad esse spiritus, positivè immaterialis est, nec ulterius abstracta à materia per indifferentiam. Abstracta autem à materia ab esse spirituali & materiali præscindunt. Quamvis hæc ipsa in præcisione ista considerata immateriata dici possint, non positivè, quòd esse immateriale seu spirituale positivè infit; sed negativè, quòd non includat materiam, sed è diverticulo ad viam. Quatuor ostendimus Entium & scibilium genera. Uti jam Entia primi generis docentur in Physica; secundi generis in Mathematica; tertij generis in Pneumatica; Entia etiam postremi generis postulabunt aliquam, quâ tradantur, Scientiam. Argumentamur.

Omne scibile requirit sibi respondentem Scientiam.

Entia abstracta per indifferentiam sunt aliquot scibile. E.

Entia abstracta per indifferentiam habent sibi respondentem aliquam Scientiam, quam nos Metaphysicam dicimus.

Sic constat dari Metaphysicam: distinctam eam esse à Logica, contra confusionem Rami, patet vel inde, quòd absurdum sit in eadem disciplina ipsum scibile & modum sciendi tradere; hoc practicum est, illud theoreticum. Eadem namq; disciplina diversissima haberet objecta; Practica simul esset & Contemplativa, quæ confusio summa. Deinde quæro, an Ens ut Ens sit objectum Logicæ; Si est, ergò quæ in Logica traduntur, Enti, quâ Ens est, conveniunt, adeoq; Enunciatio, Suppositio, Syllogismus, Enti quâ Ens est convenient. Quicquid autem Enti quâ Ens est convenit, omnibus inferioribus tribuitur; omnia itaq; Entia erunt Enunciatio, Suppositio, Syllogismus. Confer *Corn. Mart. p. m. 44.* Si Ens ut Ens non est subjectum Logicæ, nec ea,

quæ Enti ut Enti conveniunt, in Logica tradenda erunt, sed in illa scientia, in qua illud objectum est domi: Pergo enim quæ-
rere, cur de quibusdam saltem speciebus Entis in sua Inventio-
ne Logica agat Ramus, de toto sc. & partibus, causa & causato
&c. Non item de alijs? Ergo saltem his, quas omittit, speciebus
respondebit aliqua scientia, ad quam & reliquæ pertinebunt ex
lege homogeneitatis. Relinquimus malè consultum centonem
Mendicis & indolem Metaphysicæ per quatuor causarum gene-
ra investigare laborabimus.

§. 3. *Efficiens causa, quoad Systematicam Metaphysicam, Aristoteles est, quòd prima ejus delineamenta ostendit: Habitu-
lis mater est, crebra à singularibus & materialibus abstractio.*
Abstrahimus 1. Cum conjuncta non conjunctim consideramus: Ut
cum in uno homine distinctè & separatim consideramus mobi-
litem, sanitatem, Entitatem, seorsim etiam contemplatur
naturam animalis, corporis, substantiæ, quæ tamen conjuncta
sunt in homine. Idem hic intellectui evenit, quod sensibus,
qui singuli colorem, odorem, saporem in pomo non appre-
hendunt, esto in pomo conjuncta sint; sed visus colorem, olfa-
ctus odorem, gustus saporem præscindit & dijudicat. Et hoc re-
spectu cognitio abstractiva differt ab intuitiva, quæ res intui-
tivè unò intuitu simul comprehendit, nulla abstractione inter-
veniente; qualis Dei est. **Abstrahimus 2. cum disjuncta conjun-
ctim consideramus:** ut cum in unam naturam universalem colligi-
mus, quæ seorsim in individuis deprehendimus. Has abstractio-
nes necessarias esse patet ex ipsa intellectus natura & omni eru-
ditâ mentis cognitione. Intellectus enim humanus non intui-
tivè omnia complectitur, sed partitim intelligit. Conceptus
item omnis doctus rerum & definitio non singularium est, sed
naturarum communium, à singularibus in unam ideam com-
munem collatarum. Et quis homini Philosopho denegaret,
quod Pictori licet, dum virtutes abstractas, Fortitudinem,
Temperantiam, Justitiam, sub forma puellarum depictas ocu-
lis proponit?

§. 4. *Causa finalis, Metaphysicæ, contemplativa cum sit,*
per

per se nulla est; per accidens ex ea omnis omnino scientia usum
haurit amplissimum, triplicem imprimis; cum doceat illa 1. ter-
minorum generalium expositionem. 2. eorundem terminorum
distinctionem 3. principiorum demonstrationem. Quoties itaq;
in controversijs Theologicis mentio fit essentia, natura, perso-
na, individui, boni, potentia, actus, causa, positivi, privati,
partis, necessarij, &c. Quanto de illis rectius iudicabit & ex-
peditius is, qui horum terminorum ingenium ex Metaphysica
prius didicit, quam qui istorum cognitionem una cum contro-
versijs ex Theologia imbibere satagi?

§. 5. Sequitur subjectum seu objectum Metaphysicum.
Id in genere triplex observatur: 1. *Inhabitatio*; sic intellectus
subjectum est omnium scientiarum 2. *Propositio*; ut in hac
enunciatione; homo est animal, homo dicitur subjectum 3. *Tra-
ctationis sive demonstrationis*, de quo affectiones per sua princi-
pia demonstrantur. Tale nullum datur in disciplinis practicis:
In Theoreticis autem idem est cum objecto: ut in Physicis cor-
pus naturale objectum est, circa quod Physicus cognoscendo
versatur; idem corpus naturale subjectum est, cui affectiones in-
sunt demonstranda per principia. Nos qui malumus exigere
Aristotelis scripta ad naturam, quam naturam ad scripta Aristo-
telis, de objecto Metaphysico cum disputamus, non multum
solliciti sumus de objecto Metaphysica Aristotelica; sed de ob-
jecto Metaphysica simpliciter: nec inquiremus objectum quod-
vis, sed adaequatum & reciprocum; ne sit latius, neve angustius
ipsa Scientia. Id invenimus tum, cum subjecti & materiale &
formale recte tenuerimus: illud est res considerata; hoc modus
considerandi: Hoc, ne objectum se extendat nimis, cavebit; ne an-
gustum nimis sit, cavebit illud. Utrumq; studiosè investigabimus.

§. 6. Ostendimus, scibilia respectu abstractionis cum divi-
debamus supra §. 2. praeter naturas particulares esse quosdam
conceptus generales, tam immateriato quam materiato; tam
accidenti, quam substantiae communes: Haec cum per se scibilia
sint, in aliqua Scientia tractanda sunt; Cum generalissima sint,
in generalissima scientia tractanda sunt: Scientiam a, in qua tra-
ctanda

Etanda sunt; nos Metaphysicam nominavimus, Sapientiam & primam Philosophiam. Hæc itaq; generalissima erit. Hinc deducimus: *Objectum Metaphysicæ debet esse generalissimum, supra quod relinquatur nihil per se scibile.* Tale autem Ens est. Deficiunt itaq; qui objectum Metaphysicæ ponunt 1. Deum. Nam aut cum Neotericis Dei naturam extra Metaphysicam, in particulari aliqua scientia contemplaris; aut cum Antiquitate in Metaphysicæ parte speciali. Si prius, Deus planè non erit objectum Metaphysicæ, ratione particularis cognitionis; contemplabitur saltem in genere ratione Entitatis, unitatis, perfectionis, &c. Si posterius, non est objectum adæquatum, sed partiale duntaxat. Dices: subjectum disciplinæ habet rationem generis. At Deus cum creaturis non convenit in uno aliquo communi genere. R. Sufficit ad esse subjecti, omnia inferiora completi conceptu uno & communi; cuius respectu subjectum induit rationem generis, sed genus rigerosè non est. Nora, qui rejectam hanc sententiam defendunt, omnia quæ in Metaphysica traduntur, ad Deum referri volunt, ut effectus ad suam causam. Sed ut de confusione nihil dicam, multa in Metaphysica traduntur, à ratione creati & increati quæ præscindunt, adeoq; effectibus divinis annumerari non poterunt. Deficiunt 2. qui ponunt Ens creatum, non officiente, quòd Creator & creatura non convenient sub uno genere. Deficiunt 3. qui ponunt substantiam immaterialem aut etiam substantiam in communi. Substantiam immaterialem vocant negativè, eò sensu quòd nos vocem immaterialis vocavimus §. 2. ut sit idem quod abstractum à materia. Deficiunt, inquam, quia supra rationem substantiæ datur adhuc aliquid latius, quod est scibile per se, nec quicquam proficiunt, si aiunt 1. Nullum subjectum Scientiæ prædicatur de suis affectionibus. Quæ n. causa, quòd subjectum Physicæ non dicatur Ens naturale, nisi quòd non permissum sit subjectum prædicari de affectionibus, cum tamen Ens naturale prædicetur de mobilitate, quantitate, & alijs affectionibus Physicis? Jam & Ens prædicatur de suis affectionibus. Ens itaq; non erit subjectum, sed substantia. 2. Affectio non potest esse cum suo subjecto sub eodem genere. At accidentia sunt

sunt affectiones substantiæ. Pone nunc aliquod Subjectum Metaphysicum, quod commune sit Substantiæ & Accidenti, affectio cum suo subjecto erunt sub eodem genere, quod fieri posse negavimus. 3. Accidentis est esse in alio, non esse per se. Quod autem per se non est Ens, per se quoque non est scibile. E. nec datur aliquid per se scibile supra rationem substantiæ, quod commune sit Substantiæ & accidenti. B. ad 1. Axioma verum est de Affectionibus Prædicamentalibus & proprie dictis; falsum de Transcendentalibus & divinis. Ad 2. Affectio non potest esse cum suo subjecto sub eodem genere, rigerose sic dicto, quod est intra seriem prædicamentorum; potest tamen esse sub unò aliquò conceptu universali & Transcendentali, qui assumit indolem Generis. Ad 3. Aliud est Ens per se, & aliud per se esse seu existere. Ens per se non opponitur ei, quod est in alio; sed ei, quod vel æquivocè tale est, vel per extrinsecam denominationem, vel per qualemcumque proportionem, vel per aggregationem. Accidens autem non ita Ens est, sed in se habet, quod ad positivam Entis rationem sufficit. Quid multum? Accidens cum substantiâ habet attributa communia: Habebit igitur cum eadem & communem essentiam, quam nos Metaphysicè objectum dicimus. Hæc clariùs dijudicabuntur ex Disputatione de unitate conceptus Entis. Hi & si qui sunt alij, qui angustius ponunt objectum, quàm Ens est, deficient, quod ut diximus objectum Metaphysicum debeat esse generalissimum.

§. 7. Ultra metam Scientiarum excurrit, quisquis cum Timplero, objectum Metaphysicum etiam ad Rationis Entia extendit. Timplerus l. 1. Metaph. c. 1. objectum Metaphysicum esse disputat Ens in tantâ latitudine sumtum, ut sub se comprehendat Ens Rationis & Reale, Positivum & Privativum, Ens per se & per accidens. Sed hæc cum per similitudinem tantum sunt Entia, etiã ad similitudinem Entium tantum sunt scibilia, non per se. Supra rationem Entis veri & Realis, non datur scibile per se. In specie Ens per accidens, quod nulla ejus detur affectio, quæ una sit, Sciētiz nõ subjicitur. De Ente Rationis & Privativo nõ abs re erit arctiorem considerationem subnectere. Sit igitur Status controversiæ; *An omne intelligibile, omne Aliquid, omne id quod intelle-*

Aut comprehendendi potest, sive Ens sit, sive non-Ens, quatenus sine materia concipitur, sit objectum Metaphysicum, Videretur quod sic, nam

Quicumque conceptus est omnium generalissimus, in constituit objectum Metaphysicum. Huic fulcra paulò antè supposuimus ipsi.

Conceptus Alicujus seu Intelligibilis est conceptus omnium generalissimus. E.

Conceptus Alicujus seu Intelligibilis constituit objectum Metaphysicum.

Minor erit verissima, modò, quod supposuimus, probaverimus, dari aliquem conceptum Alicujus seu intelligibilis, communem Entibus Realibus & Rationis, Positivis & Privativis; de quò ulterius non relinquitur dubitatio, si cogitaveris, omne objectum nostræ cognitionis convenire sub unâ aliquâ ratione intelligibilitatis, & vocari Aliquid. Sumimus hîc Intelligibile cum præcisiõne & indifferentiâ ad Intelligibile per se & per accidens, ne quis nobis obstrepet istâ distinctiõne. Sanè Entia Realia & Rationis, Positiva & Privativa conveniunt in hoc prædicato, ut dicantur intelligibilia, quomodocunq; , id nihil ad rem, modò verè dicantur Intelligibilia. Conveniunt itaq; sub unò al quò conceptu, sub conceptu Alicujus, sub conceptu Intelligibilis. Hunc nodum ut solvamus, non equidè ausim negare non-Entia & Rationis Entia esse Aliquid, pro quò pugnabo ipse suo loco; adeoque non ausim negare hæc cum Ente facere conceptum qualemcunq; unum & communem; sed addo, non facere conceptum Essentialem & per se unum. Esse autem objectum cognitionis, non est conceptus essentialis, sed dicit tantummodò relationem extrinsecam, qualis etiâ multifariam fundari potest in non-Ente. Ideoque ad Syllogismum in forma respondeo, concedendo majorem de conceptu Essentiali & per se uno, negando de conceptu qualicunq;. *Instas.* Iste conceptus etsi non est essentialis, est tamen aliquod scibile, & hoc sufficit ad constitutionem scientiæ: Itaque

Omne scibile generalissimum constituit objectum Scientiæ generalissimæ.

Conceptus Alicujus est scibile generalissimum. E.

Erit etiam objectum scientiæ generalissimæ.

Et. Omne scibile seu intelligibile intelligitur vel per speciei positionem, vel per speciei privationem, vel per speciei affimi-

lationem. Sicut enim lux visibile est, per suam speciem; tenebræ non per suam speciem, quam nullam habent, sed per speciei privationem: ita Entia Realia & Positiva intelliguntur per realem speciem; Negativa & Privativa non per speciem, cum nullam habeant, sed per ejusdem speciei privationem; Entia Rationis per speciei assimilationem: quicquid enim Entitatis habent, à mentis fictione accipiunt. Primi generis vocantur scibilia per se; secundi & tertij generis scibilia per accidens. Hæc cum non cognoscantur per realem speciem, non constituunt realem scientiam. Unam enim, cum per privationem speciei tantum est scibile, in se & intrinsecè non est scibile: alterum similiter non est scibile, hoc ipso, quod scibile est per assimilationem speciei scibilis. Simile enim non est idem: & quod per similitudinem tale est, id simpliciter tale non est. Hæc ipsa tamen ut per accidens sunt scibilia, per accidens quoque considerantur in Scientia. Quicumq; novit naturam Entis Realis, ad illius proportionem etiam Entia Rationis & Privationes Entium intelligit. Atq; sic universaliter acceptam negamus majorem. Ex dictis ratio dissensus satis apparet, considerari tamen & hoc volumus, quod intelligibile in quo ratio Alicujus consistit, concretum sit, constans ex abstracto, intelligibilitate, & subjecto Intelligibile. Itaque ipsum subjectum esse non poterit; sed potius affectio est. Intelligibilitas autem quoties fundatur in non-Ente, non fundatur in subjecto reali, sed in subjecti vel privatione vel figmento. Non ergo poterit esse aliquod subjectum seu genus commune Enti & non-Enti. Et consequenter nec ipsum intelligibile ut concretum, nec Aliquid ut subjectum sub ratione intelligibilitatis Enti & non-Enti commune subjectum erit Metaphysicum. Apud Jac. Martini *disp. Met. 1. quest. 10.* invenimus hanc collectionem: In oppositione specierum ejusdem generis seu subjecti, duæ vel plures species debent poni, nulla per aliam contradictoriè tolli. Hinc homo & non-homo, non constituunt species animalis. Ens autem & non-Ens sunt contradictoria. E. non sunt ejusdem subjecti species. Et per consequens Aliquid ut est commune Enti & non-Enti, non est subjectum Metaphysices.

§. 8. **Properamus ad Subjecti Formale**, quod est modus
 considerandi. Cū enim in Entibus, spiritualitas, naturalitas,
 quantitas, sanitas, & nihil non considerari possit, quæritur:
*An Entia cum omnib. suis conceptibus, an tantum secundum certos quosdā
 conceptus considerationi Metaphysicæ subsint.* Equidē Ægid. 1. *Metaph.
 quest. 22.* & Antonius Mirandulanus *l. 13. de Evers. singul. cert. sect. 6. 7.*
 disputant, Metaphysicā ad specialissimā quæq; progredi debe-
 re, & rimari ea quæ aliquō modō sub scientiā cadunt: adeoq; sicut
 Anthropologia & Botanologia sūt partes Physicæ, ita omnes dis-
 ciplinas partes esse Metaphysicæ. Sed id esset omnes disciplinas
 in unum chaos confundere, non distinctē docere. Uti non una
 est objectorum conditio, ita nec una omnium rerum scientia.
 Objectum enim ut mensura est intellectus, ita etiam scientiæ,
 distinctionem & modum scientiæ largiens. Nec hoc a nobis fa-
 cilē impetrabunt, ut hāc ratione cum ijs Metaphysicam & Phi-
 losophiam constituamus æquipollentia. Illud Aristotelis *l. 4.
 Metaph. r. 2.* quod objiciunt: τὰ ὄντος ὅσα εἶδη θεωροῦμαι, μὴ εἰσι ἐπιστή-
 μης τῶ γενέει, τὰ τε εἶδη τῶν εἰδῶν. Si cum Fonseca & Svarasio, τὰ
 εἶδη referimus ad scientiam, sicut ἐπιστήμη τῶ γενέει, accipitur pro
 ἐπιστήμῃ γενεῆς sensum hūc refert: unig generalis disciplinæ est cō-
 templeri species Entis; & specialium scientiarum est, contem-
 plari species sc. ultiores. Verum si maximē illud τὰ εἶδη referat-
 ur ad Ens, hoc sensu: unius generalis disciplinæ est, contem-
 plari species Entis, & species specierum: & id verum est, cum
 Metaphysica consideret species specierum Entis, sed non omnes
 sub speciali conceptu, sed eō respectu, quem nos jam investi-
 gabimus. Positō itaq; Entia non venire sub considerationem
 Metaphysicam ratione omnium conceptuum quos habent:
 Quæritur porro: *quinam sint illi conceptus, quorum ratione
 Entia sunt objecta Metaphysicæ.* Id exprimimus, dum dicimus
 Ens quā Ens sub eodum esse Metaphysicum. Disputare hic
 quomodo particula limitativa quā vel quatenus, hic sumatur
 specificativē an limitativē, nihil attinet, modō constet, Ens
 sub eā ratione seu sub eā consideratione quatenus est Ens, & sub
 nullā aliā peregrinā esse subjectum Metaphysicum. Ut tamen
 aliquid

aliquid dicamus, si reduplicativum dicitur quod reduplicat sub-
 jectum propositionis, ut homo quâ homo est rationalis: & spe-
 cificativum, quod quasi novam speciem subiecto addit, ut homo
 quatenus habet pedes ambulat, nullâ quæstione opus est. Rectius
 autem cum accuratioribus quatenus reduplicativè accipi di-
 ces tum, cum causam continet subiecti; specificativè, cum non
 causam notat, sed certam duntaxat partem, speciem, seu ratio-
 nem. Prioris exemplum est: Homo quatenus corpus naturale est
 mobilis, quatenus terreus movetur deorsum, quatenus homo est ri-
 sibilis: Posterioris exemplum nonnulli ponunt tale: Homo, quâ
 homo est albus. Verùm hæc propositio aut falsa est aut tautolo-
 gica, si scilicet ita explicatur ut explicant: homo, qui est homo est
 albus. Quorsum n. illud? qui est homo. Verum autè exemplū qua-
 tenus reduplicativi hoc est: homo quatenus est coloratus est albus.
 Color enim non est causa albedinis, aliàs omne coloratum esset
 album; sed particula limitativa ostendit hic saltem certam
 speciem, cujus respectu homo (in quo aliàs plures con-
 tinentur species, unde denominari posset, ut quantitas, doctrina)
 denominetur albus. Talis & illa: homo quatenus habet nasum est
 simus. Patet ita, Ens quatenus Ens cum dicitur obiectum Meta-
 physicum, quatenus sumi reduplicativè, quia ipsam causam no-
 tat, propter quam quid in Metaphysica contemplatur, Entita-
 tem scilicet ita ut omne habens Entitatem propter Entitatem &
 ratione Entitatis consideretur in Metaphysicâ. Hoc itaq; vo-
 lumus, Metaphysicam considerare Entia tam universalialia quàm
 particularia, non quidem sub proprijs particularium Essentijs &
 conceptibus, sed sub ratione Entis & eorū quæ Ens ut Ens tran-
 scendentaliter consequuntur, quousq; scilicet abstractio Metaphysica
 id permittit: Ut corpus, homo, animal, cum sint Entia, etiâ illa
 considerat Metaphysica, sed sub nullâ aliâ ratione, quàm Entis, &
 quæ Ens sequuntur; ut quod sint vera, bona, perfecta, effecta,
 causæ &c. quatenus autem sunt corpora, quatenus animalia,
 quatenus homines, ea Physicæ cõtemplationi relinquit. Dices: Me-
 taphysicus agit etiam de substantia & accidente non tantum sub
 ratione Entis indeterminatè sumti, sed & sub ratione determinatè

B 3

Essen-

Essentiæ, quatenus scilicet sunt Substantia & Accidens, E. nō agit de Entibus tantum ut Entibus. Nam *quatenus* aut excludit inferiora aut non excludit. Si excludit, cur subit considerationem Metaphysicam substantia sub ratione substantiæ, accidens sub ratione accidentis. Si non excludit, cur non eodem jure, quō Substantia & Accidens, corpus etiam, & animal & homo, ad Metaphysicum forum admittuntur, sub conceptib. determinatis. R. *Quatenus* non excludit inferiores conceptus, sed potius includit, cum à *quatenus* ad *de omni* valeat consequentia; excludit autem conceptus extraneos. Exemplo nobis fit objectum Physicum, quod est corpus naturale quā naturale: per *quatenus* non excluduntur conceptus corporum illi, qui rationem naturalitatis habent, sed extranei. Admittitur consideratio de hominis generatione, vegetatione, sensualitate, rationalitate, quia horum conceptus sub rationem naturalitatis cadunt. Excluditur consideratio de ejusdem hominis sanatione, beatitudine, virtute, quia hæc in eo non sunt naturalia. Sed si per *quatenus* non excluduntur inferiora, cur non contemplatur Metaphysicus animal ut animal, corpus ut corpus, hominem ut hominem: Quia hi conceptus habent rationem Entitatis? R. Hoc ipsum est, quod nos cogit statuere præter hætenus explicatum formale, adhuc subjecto adjungere aliud, objectum scientiæ completè limitans. Illud absolute dici potest quia limitat subjectum in se; Hoc alterum nunc explicandum, formale relatum dicitur, quod limitat subjectū consideratum in proportione, quam habet ad nostrum intellectum, considerantem scibilia in scientijs per abstractionem. Hoc relatum formale subjecti omninō admittendum rursus svadet Physica, quæ naturam Petri & Pauli hujus & illius animalis non considerat in individuo, quod objecta sua consideret non nisi cum abstractione à materia signatā, seu singularibus.

§. 9. Alterum itaq; formale subjecti, quod relatum diximus, constituit Metaphysica Abstractio. Sed & hæc controversa est: Sunt enim qui eam duplicem faciunt, & sunt qui pro simplici contendunt. Hi volunt, Metaphysicam abstrahere solum à materiā secundum rem & rationem per indifferentiam; isti addunt abstractionem à materiā secundum rem & rationem per

per negationem, quæ etiam vocatur abstractio secundum Essentiam seu secundum repugnantiam. Termini hi quid velint §. 2. explicatum est. **Quæritur** itaq; an tantum Entia abstracta materia secundum rem & rationem per indifferentiam sint objecta Metaphysica; an Entia abstracta per indifferentiam & negationem simul, id est, an etiam Spiritus ut Spiritus, Deus ut Deus, Angelus ut Angelus pertineant ad tractationem Metaphysicam. Antiquitas equidem sic tenuit. Antiquitatem autem Pererius cum nonnullis alijs Neotericis vocavit in iudicium. **Adhuc** sub iudice lis est. Accusationis fundamentum est, intelligentiæ constituere subiectum particulare, non minus quam corpora naturalia, & habere modum considerandi particularem non minus quam illa. Utraq; partem Entis abscindunt. **Quod** itaq; corporibus naturalibus concessum est contemplari in particulari scientiâ, cur id denegandum Spiritibus, tanquam nobilioribus. Atq; hinc Pneumaticæ Spirituum considerationem demandavere. Sententiam decisivam committo, concilio Philosophico, Ego minorum gentium Philosophus, non ut Arbitrator, sed ut privatim suam sententiam exponens, rem esse arbitrariam arbitror. Si libuerit, aliquid dare Reverendæ Canitiæ, liceat; nihil obstat. Dicas, Metaphysicam esse scientiam universalem verè non merè, sicut intellectus dicitur esse universalium verè, non merè, cum & singularia intelligat: Corpora naturalia peculiarem requirere disciplinam, quod peculiarem habeant abstractionem; Intelligentias non item, quod sub abstractione Physicâ commodè comprehendi possint. Si concinnitatis tibi major cura, age, associa te Neotericis, sine periculò fiet. Mihi ad Reverentiam Canitiæ prono, magis tamen arridet concinnitas: Generalia in generali, particularia in particularibus tradi scientijs. Nec id contra Antiquitatem, si Fonsæ & Suaresij interpretationem sequimur, cum interpretantur illud Philosophi l. 4. *Metaph. 2. τὸ ὄντος ὅτι εἶδη θεωροῦν μίαις ἔστι ἐπισημῆς τῷ γένει, τὰς εἶδη τῶν εἰδῶν.* De quò supra §. præced. Sit itaq; nobis *primæ Philosophiæ & Metaphysicæ objectum Ens quod Ens abstractum à materiâ secundum rem & rationem per indifferentiam.* **Obj. Metaphysica** agit etiam de materiâ & formâ, principijs sc. corporis,

poris, de quantitate fundatâ non nisi in materiâ; substantiâ quôq;
materiata, dividendo substantiâ in corpoream & incorpoream.
§. 1. Materia considerari potest, vel secundum Esse absolutum,
ut materia est; vel secundum Esse relatam, ut est causa; priori
modô materiam scientificè Metaphysicus non tractat, nisi per
digressionem; ostendendo causarum species: posteriori modô
de eâ ex instituto agit, considerat enim in eâ rationem causali-
tatis, quod indifferenter se habet, ad esse materiale & imma-
teriale. Taceo quod latius extendendo significationem materiæ
& formæ, etiam materiam habere dicantur abstracta à materiâ;
ut cum trianguli materiam dicimus tres lineas, quod autem ita
generale & indifferens est, ad generalè pertinet scientiam. 2.
Quantitatem & substantiam corpoream Metaphysicus scien-
tificè non cognoscit, demonstrando affectiones de ipsis; sed
præcognoscit, ostendendo quod sint species Entis; atq; sic infe-
rioribus scientijs objectum, quod præcognitum esse debet,
præscribit. Prætereo, quod quantitas dividatur in continuam &
discretam. Numerus autem competit etiâ Spiritibus, imò tres
S.S. Trinitatis personæ differunt re verâ numero.

§. 10. Hactenus de objecto Metaphysico rectè constituen-
do, nunc ad Formam. Externa seu Accidentalisis, est ordo,
quod traditur Metaphysica, Synthetico. Internam & Essentia-
lem non habet. Accidentia enim cum ipsæ formæ sint, formam
habere negantur. In definitione autè eorundem formæ locū te-
net genus, differètia vel à subjecto vel ab objecto vel aliunde su-
mitur. Ideoq; hic demū de genere Metaphysices agendū. Meta-
physicū habitum intellectus esse certū est; Theoreticum esse non
practicum, non dubitat, quisquis quid practicum, quid Theo-
reticum, intelligit. Nam quod Domina & Princeps aliarum
Disciplinarum dicitur, imperans inferioribus; non ita accipien-
dum est, ac si imperet practicè; ostendendo modum tractandi;
sed quod prorsus Theoreticè, terminos proponendo, quorum
deklarationem ex eâ inferiores mutuare coguntur. Non igitur
Ars erit, nec Prudentia. Equidem Ars, prout à naturâ contradistin-
gitur, ab arte sunt, non Metaphysica modò, sed omnes
omnino

omnino habitus. Sed nos proximum genus inquiremus, non quodvis prædicatum. Si cum Arist. *l. 6. Ethic. c. 4.* Artem definit per habitum cum ratione rectâ effectivum; Artem Metaphysicam esse omnes negabunt. Solùm controversitur an Metaphysicæ genus dici debeat juxta definitionem Luciani definitis Artem per systema præceptorum usû cognitorum, ad finem in vita utilem. Nos quamvis ægrè litem cuiquam moveamus de nomine, confusionem tamen vocum semper detestamur. Ars in mente est, non in systemate præceptorum, seu in libris. Neq; enim farrago præceptorû, sed mens ab arte denominatur artifex. Nec obstat, quòd & illa ab arte denominetur artificiosa. Nam artifex à subjectò denominatur, cui ars inhaeret; artificiosum, non à subjecto, sed ab effectu tantû, quod ab arte proficiscitur. Ut Qualitas denominat suum subjectum quale, sic Ars suum subjectum Artificem; effectum autem artificiosum reddit. Præterea si maxime hæc artis definitio cohæreret cum definitò; non tamen i. competeret Habituali Metaphysicæ, sed Systematicæ tantû; & 2. ejusdem speciei constituerentur disciplinæ omnes. Ad habitus contemplativos nos vertimus. **Dicimus I.** *Sapientia non Metaphysicæ genus est, sed synonymum:* Nullum enim genus recipitur cum suâ specie, ad minimum n. aptû debet esse prædicari de pluribus, contingat licet aliquando servari id in unâ specie. Jam præter unam non potest aliqua disciplina agere de summis sciendi principijs; neq; enim duæ disciplinæ æquæ universales dari possunt, cum non dentur duo objecta æquæ universalialia. *Dices:* Sapientia est, quæ in se sua habet principia, nec indiget alienis, ad conclusiones suas demonstrandas. Theologia autem non indiget ope alterius disciplinæ, nisi ex accidente. E. & Theologia sapientia est. E. præter Metaphysicam datur & alia species Sapientia. R. Sapientia est notitia primorum principiorum connatorum, & ex his deductarum conclusionum; non eorum, quæ ex revelatione sciuntur, de rebus supra naturam positis. *Objectio:* Synonyma habent eandem definitionem. Jam Sapientia definitio alia est à definitione Metaphysicæ; definitur enim habitus contemplativus ex intelligentiâ & scientiâ constans. R. Eadẽ res cum ob diversos respectus diversas sortiatur denominationes, quid mirum ob

C

diversum

diversum respectu synonyma definiri diversimode; maximè eū & ejusdem rei sub eodem nomine, ob diversitatem respectus, diversa dari possit definitio. Ita qualitates primæ quæ in Physicis definiuntur respectu habitō ad officia in missione, aliter definiiri possunt, si considerantur absolute. **Dicimus II. Metaphysicæ genus proximum est Scientia.** Scientia autem sumitur bifariam 1. pro notitiâ conclusionis, sine notitiâ primorum principiorum. Et sic distinguitur ab intelligentiâ, quæ est notitia principiorum tantum; & a Sipientiâ, quæ est & principiorum & conclusionum notitia. Hôc modô Scientia non est genus Metaphysicæ & Sipientiæ, sed Scientia & Sipientia sunt species contradistinctæ. Et hîc militat illud argumentum: *Species oppositæ quidditative de se non prædicantur, multô minùs se mutuo definiunt: Scientia & sapientia (quod nos synonymum Metaphysicæ diximus) sunt species oppositæ: E. se mutuo non definiunt.* 2. Scientia dicitur, quicquid cognoscit proprietates alicujus subjeçti per propria principia. Et sic omne speculativum etiam est scientificum. Sic quoq; Scientiæ non est oppositum Sipientia; sed subordinatum addens illi specialem duntaxat gradum & dignitatem, principiorum sc. primitatem. Scientia demonstrat conclusionem ex principijs immediatis quidem, sed non primis ratione universalitatis & distinctæ cognitionis. Sipientia demonstrat suas conclusiones ex principijs omnium primis, & universalissimis, ratione affectionis tamen proprijs & immediatis. Et sic sumta Scientia Metaphysicæ genus est. *Objiçunt.* Metaphysica 1. non habet subjeçtum scientificum. Ens enim non habet rationem generis; quia extra se non habet differentias, de quibus non possit prædicari. 2. Non habet affectiones; quia hæ debent esse aliquid appositum ad Essentiam subjeçti; adeoq; diversam habere Essentiam à subjeçto. At Ens non habet affectiones, à quibus differat Essentialiter; aliàs esset compositum ex subjeçto & accidente, quod repugnat Enti in istâ generalitate & præcisione ab omni determinatâ Essentiâ sumti. 3. non habet principia. Principia autem ex quibus fit demonstratiô efficiens est & finis. At Ens præscindens à creatô & increatô caret ejusmodi principijs. R. ad 1. Ut demonstratiônis ita & Scientiæ subjeçtum non necessariô genus est

est propriè dictum, sub se continens species. Si maxime sub se comprehendit inferiora, sufficit, si ob amplitudinem suã induat ratione generis, quamvis non sit Genus rigorosè dictum. Adde quod Scheibl. l. 1. Met. c. 1. n. 32, ex Fonseca observat, subjectum vocari Genus, non Logicum, quod respectum dicitur ad species: sed Physicum, quod est idè cum materia, ad quam etiã pertinet materia circa quam & in qua, id est, objectum, & subjectum. Unde æquipollenter & Genus & subjectum & Genus subjectũ conjunctim dicitur id, quod disciplinæ subjicitur. Ad 2. non est requisitũ Affectionis necessarium, addere Subjecto aliquid Reale, secundum rem & Essentiam à subjecto differens; id enim verum tantum de Accidentibus prædicamentalibus, (quamvis nec ibi universaliter) minimè de Affectionibus transcendentalibus & divinis. Sufficit, si expressiorem conceptum Entis dicant, qui per modum accidentis de subjecto prædicantur: Cum enim id hoc respectu demonstrabile sit, tantum habet, quantum ad rationem Affectionis scibilis sufficit. Ad 3. ad Demonstrationem sufficiunt causæ efficientes per emanationem, qualescunq; rationes, quæ à nobis apprehenduntur priores attributis, & vocantur causæ virtuales, quia si per impossibile æternitas Dei effectivè produci posset, ab infinitate produceretur: complexa itidem principia & deductio ad impossibile.

§. II. Impetratis ijs, quæ ad extruendam & intelligendam definitionem Metaphysicæ sufficiunt, illam subungere possemus; sed placat prius audire Affectiones Metaphysicæ, ut sunt illæ omnes quæ ei conveniunt quatenus est Sapientia. Sapientiæ autem tribuitur, quod versetur 1. circa omnia, adeoq; sit universalis, quia communissimas Entium rationes, communissima item principia, in quibus omnia Entia particularia fundantur, contemplatur: Quod versetur 2. circa difficillima & à sensibus remotissima adeoq; sit difficillima. Quæ traduntur in Metaphysica difficiliora sunt nobis, quia à sensibus remotiora: notiora autem naturã, quæ ut difficiliora videntur, ita tamen comparata sunt, ut ea si teneas, reliqua per ludum addiscas. Quod autem hæc sunt difficiliora, hoc Sapiente digniora, cum sensibus

fibus quæ obvia sunt, plebeius etiam cognoscat facile. 3. quod sit
certissima, non quoad demonstrationis evidentiam; hoc nomine
enim disciplinæ Mathematicæ audiunt certissimæ: sed ratione
Subjecti, quia agit de rebus maxime universalibus, quibus sum-
ma certitudo inest, eò quòd principiorum locò sint inferior-
ibus. Hinc aliarum Scientiarum principia robur accipiunt
ex principijs Metaphysicis, tanquam certioribus. 4. quod sit ad
docendum aptissima. Non *ὀργανικὸς* per modum instrumenti, tra-
dendo modum sciendi; Hoc enim Logicæ est: sed *δευτικὸς* &
ἐξηγητικὸς, quoad rerum & terminorum explicationem & de-
monstrationem. Quia enim universalissima tradit, hæc non
possunt non usum habere in docendis & discendis inferioribus.
5. quod sit nobilissima; Est enim Regina Scientiarum, quæ alijs
præesse potius dicenda est, quàm ministrare. Dominatur sc. alijs,
non practice, sed speculative, uti explicavimus §. 10. Obj. Nobi-
litas Scientiæ dependet à nobilitate subjecti. Universalia verò,
circa quæ versatur Metaphysica, sunt imperfectissima. Infe-
riora enim semper determinatiorem conceptum addunt supe-
rioribus. Metaphysica itaq; erit imperfectissima. R. Qui in Me-
taphysicis agunt de Deo & Intelligentijs sine difficultate inve-
niunt, quod regerant. Habent enim in sua Metaphysica obje-
ctum absq; omni contradictione nobilissimum. Nos qui tantum
universalia Metaphysicæ contemplationi consecramus, nobi-
litatem Metaphysicæ deducimus ab objecti non majori inten-
sione, sed majori extensione. Universalia esto minoria sunt inten-
sivè; pauciores enim habent gradus Entitatis, cum semper pro-
grediendo ad universalia à singularibus, singularibus aliquid
decedat: Sunt tamen majora extensivè, & ad plura Entium ge-
nera extenduntur, quàm singularia. Ab hac objecti conditione
magis ducenda est nobilitas scientiæ, quàm ab illâ; Cum hæc ex-
tensiva excellentia & generalitas, inferiorum objectorum disci-
plinas suæ subjiciat, tum quoad objecta, tum quoad principia.
Hinc est, quòd reliquæ disciplinæ subordinantur Metaphysicæ, non qui-
dem subalternatione, in rigore & summo gradu sumpta, de qua
videatur Scheibl. l. 1. Metaph. c. 1. tit. 5. artic. 2. dependentiâ tamen
& subalternatione aliquâ. Subalternantur autem & dependent à
Meta-

Metaphysica i. ratione subiectorum idq; dupliciter. (1.) quod species Entis non possint exacte distincte cognosci, sine dependentia ad cognitionem Entis simpliciter. Hinc non potest fieri, quin termini Metaphysici ob generalitatem suã subinde succurrant in specialioribus cõtemplationibus rerum. (2.) quod Scientijs inferioribus subiecta præscribat: non modò practico, quasi, quid in unaquaq; disciplina tractari debeat, jubeat: sed planè speculativè; progrediendo ad species Entis, eas inferioribus relinquit Disciplinis scientificè tractandas, abstractionem Metaphysicam quæ excedunt; ostendens tantum quod in objectis præcognitum esse debet, quid nominis, & an sit. 2. Subalternantur inferiores ratione principiorum. Principia enim in Metaphysica probata in cæteris supponuntur: vel si inferiores propria habent principia, confirmantur tamen maximã ex parte ex Metaphysica, (1.) quatenus generalium terminorum cognitione opus habent. Est enim ubi ex sola terminorum explicatione veritas deducitur, ut omne totum majus est qualibet suã parte; explicatõ quid totum, quid partes, etiam contradictoria apparet repugnancia. Vel quatenus (2.) probantur per deductiones ad absurdum, ex generalibus principijs Metaphysicis. Sed quid si hæc negantur ipsa? Respondeo cum Pererio ex l. 4. de antiq. Phil. c. 11. Adversarius aut concedit aliquid aut nihil, Si nihil, cum eo non erit disputandum. Si aliquid, id aliquò modò attinget jus Metaphysicæ, ex ijs itaq; concessis Metaphysicis adversarium redarguere potest. Quoties itaq; contingit, ut Adversarius nihil penitus concedat eorum, quæ inferioribus subjiciuntur disciplinis; ad superiora fugiendum, ubi si velit secum disputari, concedat ali quid necesse est, unde confutari poterit.

§. 12. Hisce præmissis, planè & plenè intelligitur hæc Metaphysicæ Definitio: *Metaphysica est scientia Entis quæ Ens est, abstractum à materia seuudum rem & rationem per indifferentiam.*

Dispescitur in partem communem & propriam: illa considerat Ens in genere; hæc ad determinatas Entis species descendit.

Sic est, in Mundo fieri sic usq; videmus,
Una cupido omnes non, sua quemq; trahit.
Te, NIEMETERIDE! juvat indagare supremæ
Naturam Sophiæ. Res ea magna fatis.
Magna decent tractantem magna. Quid ergò decebit
Te? *Primi cedant nomina magna Sophi.*

Volitante calamò suo

BARTHOLDO NIEMEYERO
gratulabundus f.

GEORG. Krug Phil. & Med. D.

Ad Præstantiss. Dn. Respondentem.

Scrutatus Decreea prius *Primi Entis* ab ævo
Clarò **COTHMANNO** Præfide aperta facis;
Entis at ingenium prius nunc atq; secundi.
Quis *Mysten Sophiæ Theiologumq;* negat?
Esse & posse Dei monstrant tibi scripta *Sophorum,*
Sacra tamen tantum pagina *velle DEI.*

M. JOACHIM. LUTKEMANNUS
Demminensis Pommeranus Præses.

Ad Præstantissimum & Doctissimum Dn. Respondentem
Amicum charissimum.

Ecce autem, de Te quid, NIEMEIERE, feremus
Judicij, quem *Theologicâ* modò stare cathedrâ
Vidimus & *calviniadum* doctò ore latentes
Discussisse strophas? Quid dicam, nonne *Sophorum*
Quisquilix tandem sordent Tibi? Num *Tua*, totus
Cui Sacer esse studes, etiam his Te incumbere rebus
Eusebie

Eusebie finit? Immò finit, gratamq; capeffit
Ancillarem operam *Sophiæ*; non illius unquam
Respuit auxilium, non unquam ponè sequentem
Aversata fuit. Nempe hoc gnavissime sentis
Eusebies cultor, quantoq; fidelius illam
Deprendis remove dolos, remove nefandas
Falsiloquum technas, tantò magis acriter omnem
Excolis atq; altè catus abdita perscrutaris.
O benè! quam tractas, de quâ jam differis *Arte*,
Illa diu tenebris fuit obsita, vixq; reducta
Nuper in apricum: ne vultus fortè serenos
Unquam iterum abscondat, summi curemus & imi.
Recta via est: aude & suggestum scande vicissim,
Nec dubita, referes victricia ab hoste trophæa.

Rapim de proper abae

MAURITIUS BERTRAM

~~MAURITIUS BERTRAM~~

UT Martis miles metuit certamina nulla
Arduus ut palmam victor ab hoste ferat:
Sic Artis miles certamina nulla veretur,
Ardua ut insigni laude trophæa peat.
Omnibus hinc aperis & Tu, *BARTHOLOE*, pa-
Tutandiq; theseis spes tibi magna iubit. *Clestram*,
Nec tibi cassâ cadet spes hæc: ascende cathedram,
Pro Theſibus certa fortiter hinc tuis.
Aude aliquid Ihovâ Duce & Auspice, vera Sophorum
Propugna, nec non destrue falsâ simul.
In *Sophiæ* castris age sic committere pugnam
Perge, etenim deerunt præna nulla tibi:
Sed tibi *Varniades* victori deniq; *Musæ*
Populeo circum-tempora cre-dabunt.

Patria

10
Patria quin dulcis reduci gratabitur olim;

Quin & suscipiet te decus omne suum.

Sic Literatissimo Dn. Concerraneo suo,
Metaphysicè disputanti, bene
ominatus applaudebat

Lippoldt von Oldershausen.

Ad Doctissimum Dn. Concubernalem Metaphysicè
disputaturum.

Portio quem quondam cathedræ potioris amabat,

Quem satis exultò, populis plaudentibus, ore
Explicuisse Dei decreta recondita constat:

Inferioris eum videas nunc scandere sortis,

Officij; sui subsellia; quando docere

PRINCIPIS ingenium SOPHIES conamine forti

Pergit, at ex hominum secretis omne revelans.

Ordine cuncta suò peragis BARTHOLDE, locòq;

Singula præponis, quò proposuisse decebat.

Præponis Lominam, Servam postponis, ut indè,

Qui potior heus est, qui dignior ordo putandus,

Concedat Doninæ, concedant ultima Servæ.

Quid queat hi fieri, dic, convenientius unquam?

Certe quòd Doninæ studeas adjungere Servam,

Dexterioris habet cerebri, me judice, signum;

Longè fiet enim ia tutior undiq;, crede,


Si sit, quæ famulæ præstando munia, nocti


Donatura facem, Item latura tenebris.

gratulatur

Alitissimo Dn. Contubernali:

HENRICUS Dringenberg





Metaphysica r. ratione subjeetorum idq; dupli-
 cies Entis non possint exacte distincte cog-
 nentia ad cognitionem Entis simpliciter. Hi-
 quin termini Metaphysici ob generalitatem
 rant in specialioribus cōtemplationibus reru-
 tijs inferioribus subjeeta præscribat: non mo-
 quid in unaquaq; disciplina tractari debeat,
 speculative; progrediendo ad species Entis
 relinquit Disciplinis scientificè tractandas, a
 taphysicam quæ excedunt; ostendens tantum
 præcognitum esse debet, quid nominis, &
 nantur inferiores ratione principiorum. Prin-
 taphysica probata in cæteris supponuntur: ve-
 pria habent principia, confirmantur tamen
 ex Metaphysica, (1.) quatenus generalium te-
 tione opus habent. Est enim ubi ex sola te-
 catione veritas deducitur, ut omne totum
 suâ parte; explicatō quid totum, quid partes
 teoriz apparebit repugnantia. Vel quatenus
 deductiones ad absurdum, ex generalibus pri-
 ficis. Sed quid si hæc negantur ipsa. Responde-
 l. 4. de antiq. Phil. c. 11. Adversarius aut concedit
 Si nihil, cum eo non erit disputandum. Si
 modò attinget jus Metaphysicæ, ex ijs itaq; co-
 ficus adversarium redarguere potest. Quoties
 ut Adversarius nihil penitus concedat eorum
 subjiuntur disciplinis; ad superiora fugiend-
 cum disputari, concedat ali quid necesse est
 poterit.

s. 12. Hisce præmissis, planè & plenè int-
 taphysicæ Definitio: *Metaphysica est scientia
 abstractum à materia secundum rem & rationem*

Dispersitur in partem communem & parti-
 considerat Ens in genere; hæc ad det-
 tas Entis species descendit.

